

Sæctum quoque timorem esse, quem ex sua infirmitatis notitia concipiunt fideles, ut solícite inter pericula & humiliter ambulēt. Recte faciunt piij, duobus illis modis timendo. Et tamen Zacharias Baptistæ pater, in suo cantico nos redemptos prædicat, ut sine timore liberatori nostro seruiamus. Passim occurrunt in Scripturis sententiæ, quæ timorem eximunt filiis Dei sub regno Christi. Nullum epitheton quod ad prauam diffidentiam restringat. Quomodo hæresim effugiet Spiritus Dei, simpliciter à timore fideles reuocans, quum ad me dånandum Sorbonæ fuerit satis, quòd gehennam time dā esse negauerim? Attendant præterea Lectores quàm belle censurā suam coloret: Timendus est Deus, qui potest corpus & animam tradere gehennæ. Inde colligūt, esse timēdos inferos. En quàm fæliciter in dialecticæ principijs sint versati: vnde tamen suæ Theologiæ summam conficiūt.

Quum itaque super erroribus dictorum Bibliorum recensendis, variis comitiis iureiurando sæpius coactis præfata Theologiæ Facultas congregata fuerit, tandem post sacrosanctæ de Spiritu san-